



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Consecratione sacramentorum 102

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

De Consecratione Sacramentorum.

CAP. CII.



Hoc loco nouum dogma contra proprios ipsorum Scholasticos Doctores inducunt, Librumque Reformationis accusant, quod Consecrationem Sacramentorum ponit in sola recitatione verborum Domini, *Accipite comedite, hoc est corpus meum, &c. Accipite bibite hic est sanguis meus*: non etiam vel potius in prece Canonica, & inuocatione nominis diuini super propolita dona: quæ tamen, vt aiunt, sit ad Consecrationem Sacramentorum necessaria.

Hac de re primùm omnium veritatem S. Scripture, & obseruationem veteris Ecclesiæ producemus: tum demum ad Aduersariorum accusationem respondebimus.

Ex Sacra Scriptura.

Dominus accipiebat panem, gratias agebat, frangebat, dabatque discipulis suis dicens, *Hoc est corpus meum, &c.* Item de calice, *hic est sanguis meus, & subiicit, Hoc facite in mei commemorationem.* Hinc fidelis congregatio ab initio semper docuit & agnouit Consecrationem Sacramentorum per istorum verborum Domini recitationem fieri debere, in quibus Christus Dominus semetipsum suis presentem sistit, & Sacramenta sanctificat, non minùs quàm in prima sua Cœna fecit.

Hinc etiam D. Paulus Corinthiis indicare & comprobare volens, quod quicumque panem Domini indignè manducarent, & de calice biberent, reos se constituerent corporis & sanguinis Domini, hunc Sermonem & actionem eius commemorat. Quod si alius sermo vel prædicatio fuisset, quàm dictus iste sermo Domini: vel is non fuisset solus & vnicus per quem panis & calix Domini in corpus & sanguinem eius consecrari deberent, haud dubiè Apostolus mentionem eius facere debuisset, quo firmior esset eius probatio, quod in pane & calice Domini corpus & sanguis eius percipiatur, atque idcirco reus fiat corporis & sanguinis Iesu Christi, quicumque hunc panem & calicem Domini indignè sumit. Orationes enim & probationes Spiritus S. integræ ac perfectæ sunt, omnique defectu carent. Iam verò Apostolus huius solius Sermonis Domini meminit, & nullius alterius preceationis, cum probare vult, panem & calicem Iesu Christi in S. Cœnam corporis & sanguinis sui Sacramenta consecrari. Consecratio igitur Sacramentorum per hæc verba certò perficitur.

Perpendat apud se quiuis Christianus dictam Adhortationem Apostoli, Haud dubiè enim nemo qui eam penitus introspicere volet, aliter dicere poterit, quàm propositum & intentionem Apostoli hæc:

in loco fuisse, vt Corinthios ab inordinato ac prophano vsu S. Cœne, qui apud eos inualescere cœperat, deterreret, & ad ordinarium ac sanctum eius vsum hortaretur & incitaret, idque hoc argumento, quod in S. Cœna non simpliciter panem tantum & vinum percipiamus, sed præterea verum corpus & verum sanguinem Christi, ita vt qui panem istum manducet, vel de calice bibat indignè, reus efficiatur corporis & sanguinis Domini, vt quæ Dominus vnâ cum pane & vino nobis exhibeat. Item Apostolum ad fundamentum istud stabilendum quod in S. Cœna non merum panem & vinum percipiamus, sed simul corpus & sanguinem Domini, veram & vnicam Consecrationis Sacramentorum formam adduxisse, quam à Christo Domino acceperat, & Corinthiis ex mandato ipsius tradiderat: nempe quod Christus ea nocte qua traditus est, acceperit panem, gratias egerit, fregerit, ac dederit discipulis suis dicens, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c.*

Quamobrem si sermo iste non idem ille sermo ac benedictio, solusque & vnicus fuisset per quem Corinthiis quoque panis & calix Domini in corpus & sanguinem Christi fuisset consecratus, necessarium esset admonitionem Apostoli, & enumeratorum verborum Christi declarationem nihil conclusisse, omnique fundamento caruisse. Hoc autem fieri nequit, Apostolus enim hæc omnia scripsit ex instinctu Spiritus Sancti. Verum igitur esse oportet, quod Apostolus doctrinam de S. Cœna, & Consecratione Sacramentorum in hunc modum à Christo acceperit, Corinthiisque tradiderit, quod Consecrationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi per recitationem istorum verborum Domini perficere debuerint. In ea nocte qua Dominus traditus est, &c. In quo credebant Dominum ipsum esse in medio sui: & quemadmodum in prima sua Cœna, quam cum Apostolis celebravit, sic etiam in ea quam celebraret apud ipsos, panem & calicem in Sacramenta ac vera signa exhibitiva corporis & sanguinis sui consecrare, verumque corpus & sanguinem suum cum eis illis exhibere. Quamuis gratiarum actio ac preces semper etiam in S. Cœna adesse debent: adhuc tamen consecratio Sacramentorum consistit in recitatione verborum Christi. Et hoc est fundamentum S. Scripturæ.

Ex Sanctis Patribus.

Antiquissimus Iraneus, lib. 4. aduersus hæreses, cap. 34. sic scribit, *Qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, (non enim habet inuocationem, vt Aduersarij verba eius peruertunt) iam non communis panis est, sed Eucharistia, hoc est, panis gratiarum actionis ex duabus rebus constans terrena & celesti, Quid verò vocatio Dei quam panis percipiat? Nonne, Hoc est corpus meum? Consecratio igitur Sacramentorum his verbis perficitur, iuxta fidem quæ tunc temporis fuit in Ecclesia Dei. Sanctus Dionysius, quem etiam Aduersarij perperam citant, quasi opinioni eorum adstipuletur, in hunc modum scribit.*

Hinc

Hinc adstans diuinus sacrorum præfectus ad diuinum altare celebrat sacra
 diuina opera Iesu, de quibus dictum est, opera diuinissima de rebus prout
 dentia, qua pro salute nostri generis, beneuolentia sanctissimi Patris per Spi-
 ritum sanctum iuxta Scripturas perfecit.

Hinc) quia ad imitatio- nem Dei nulla re magis per ducimur. quã sacris verbis & sacramen- torũ ope- rationib; hac enim à S. Patre præmissa sunt.

Vbi in missis vestris auditur hæc celebratio operum Iesu, incarnatio- nis, mortis, resurrectionis, ascensionis, & administrationis salutis no- stræ, quam sedens ad dextram Patris apud nos in Ecclesia sua admini- strat, Regnum Dei? Hæc enim θεωρυΐαι insood sunt, de quibus S. Pater hoc loquitur loco.

Vbi verò diuinorum sacrorum præfectus celebrauit horum operum Iesu religiosè colendam diuinitatem, & ea oculis mentis, quibus solis contueri possunt, speculatus est, ad symbolicam eorum procedit admini- strationem, & id, quemadmodum à Deo traditum est. Vnde religiosè simul, & vt decet sacra administrantem, post diuinorum operum hym- nos, de eo se excusat, quod sacram illorum administrationem audet ag- gredi, prius clamans ad Dominum, Tu dixisti, Hoc facite in mei comme- morationem. Deinde cum precatus est, vt idoneus factus huic adminis- trationi qua Deum imitatur, diuina dona, quadam sui ad Christum ipsum assimilatione, valeat perquam sanctè, tum perficere, tum distribuere: vtque ij, qui sacris participaturi sunt, illis, vti decet, sanctos, participet, diuinissima dona conficit, *ιεραργεία*, & per proposita sacra ratione symbo- la in conspectum producit, hymno celebrata. Nam tectum antea & in- diuisum panem retgens, & in multas partes secans, & quod vno pocu- lo contineatur, omnibus dispertiens, vnitatem *συμβολικῶς* multiplicat & distribuit, in his sanctissimorum sacrorum administrationem perfici- ens.

O frigidã mysteriorũ considerationem! in vulgatis Missatori- bus.

In his obserua primum, quid aliud sit hæc *ιεραργεία θεομίμητος*, Deum i- mitans actio, & quæ sacerdotis ad Christum *ἀφομοίωσις* adsimilatio, quæ diuinas res conficit, *ιεραργεῖ τὰ θεῶν*, quàm recitatio ipsa scilicet verbo- rum Domini, *Accipite & manducate*, &c. Cum enim sacerdos nomine & loco Christi dicit, Hæc dicit Dominus, *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum*, &c. Dominum ipsum quodammodo imitatur, & ei assimi- latur.

Deinde obserua hic, quod Sacerdos non dicitur sacrificare diuinas res, sed *ιεραργεῖ*, id est, sacra illas ratione parare & exhibere, atque in con- spectum producere: non eleuare: & celebrare populo perclarum & in- telligibilem hymnum.

Postremò attende & illud, quod sacerdos orat pro iis, qui sacris par- ticipaturi sunt: quod horum causa panem vnum in multa diuidit, non in tres tantum particulas: quod denique vnum poculum omnibus dis- pertit. Quid est omnibus? Videat qui intelligere potest, ipsa verba Dio- nysij, quæ sic se habent.

Ἐν δὲν ὁ θεὸς ἱεράρχης ὅπῃ τῷ θεῷ δυσιασηρὴν καλῶσας, ὑμνεῖ τὰς εἰρημῶσ ἱεραὺς θεωρυΐας ἰσοῦ, τῆς θεοῦ ἀτῆς ἡμῶν προσωπίας. ἄς ὅπῃ σωτηρία τῷ γένει ἡμῶν εὐδ' οὐκ ἄτῃ παναγίστῳ πατρὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ. κατὰ τὸ λέγον, ἔτελειώσεν.

Ἰμνήσα ἡ ἡ τὴν σεβασμίαν αὐτῆς ἡ νοητὴν θεωρίαν ἐν νοσοῖς ὀφθαλμοῖς ἐσωπτεύσας

ὅτι τῶν συμβολικῶν ἱερουργιῶν ἔρχεται, καὶ τὸ θεοφθασίας ὄθεν εὐλαβῶς τε θύματα καὶ ἱεραρχικῶς μετὰ τῆς ἱερᾶς τῆς δεουργίᾳ ὕμνου, ὡς τὸ ἅπλῃ αὐτῆς ἱερουργίας ἀπολογεῖται, πρῶτον ἱερῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοῶν, σὺ εἶπας τὸτο ποιῆτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Εἶτα τὸ θεομιμῆτε ταύτης ἱερουργίας ἀξιὸς αἰτήσας γινέσθαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν χριστὸν ἀφικιῶται τὰ θεῖα τελῆσαι, καὶ δεξιούσαι πανουργίας, καὶ τὴν τῆς ἱερᾶς μεθεξουσίας ἐροπρεπῶς μεταχειρῆν, ἱερουργεῖ τὰ θεοτάλα, καὶ ὡς ὁ φιν ἀγ. τὰ ὑμνηθῆσα δεξ. τῆς ἱερᾶς πρὸς μὲν συμβόλων. τὸν γὰρ ἐγκυκαλυμθῆν καὶ ἀδικοῦτον ἄρτιν ἀγκυκαλύφας, καὶ εἰς πολλὰ θείων, καὶ τὸ ἐνείων τὸ ποταμίου πάλιν καὶ ἀμερίσας, συμβολικῶς τῶν ἐπίστα. πλὴν καὶ διανέμει παναγες ἄλλω ἐν τούτοις ἱερουργίαν τελῶν.

Ad hunc modum descripsit S. iste Pater præcipuas ac principales partes missæ. Cum hac descriptione conferat Christianus Lector, rationem missæ vñratam apud Aduersarios, & videbit quanto intervallo à forma S. Dionysij distet. Sed ad propositum. Hic apertè vides Sanctum patrem nullius orationis quæ sacramenta consecrentur meminisse, sed cuiusdam ἱερουργίας, hoc est, sacri operis, in quo sacerdos se Christo assimilet, eumque imitetur ac perficiat quod Dominus præcepit dicendo, Hoc facite in mei commemorationem. Quid verò id aliud est, quàm verba Domini vt ab ipso prolata sunt, recitare, ac deinceps sacramenta promere & distribuere?

Meminit quidem hic sanctus Pater cuiusdam precatationis, sed quæ ἱερουργίαν, id est, consecrationem præcedit, in qua sacerdos orat, vt Dominus velit eum dignum efficere ad hanc actionem, quò sacramenta sui ad ipsum assimilatione perficere τελῆσαι, sanctèque distribuere valeat, vtque ij qui sacris participaturi sunt, illis vti sanctos decet participant.

Hæc omnia D. Chrysostomus adhuc magis propriè declarat in Sermone quodam de Proditione Iudæ, vbi in hæc verba scribit. *Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Nō enim homo est, qui proposita de consecratione mensa Domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est: sed per omnes messas Ecclesie vsque ad hodiernam diem & vsque ad aduentum Domini præstat sacrificio firmitatem.* Hæc ille.

Quid obsecro magis perspicuè de Consecratione & in quo illa consistat, dici potest? Hoc verbo ait, *Hoc est corpus meum*, non prece canonica proposita consecrantur. Atque idcirco quod S. iste Pater lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. scribit de diuturnis precibus, quas fundat Pōtifex, quò gratia in sacrificiū influat, omniumq. animæ accendatur, nō ita intellexit, quasi cōsecratio sacramentorū diuturnis precibus, nō autē penitus per verba Domini fieri debeat: sed de gratia & fructu loquitur, ad quem sacramenta inferuire, cuiusque sumentes participes fieri debeant. Verba enim huius S. Patris iam adducta apertissima sunt. Certum quoque est, istarum precum non eandem apud veteres rationem fuisse, & Apostolos in Consecratione solam orationem Dominicam vsurpasse.

Quod quoniam Aduersarij non ignorant, & iam enumerata D. Chry-

solto

sofismi clarissima verba supra in principio huius materiae ipsi allegarunt, ibique copiose ac prolixè disseruerunt, quomodo Sacramentum istud omnipotenti verbo Dei conficiatur, cuius & hic quoque meminerunt, sanè non conuenit, vt id ipsum nunc stultitiam & dementiam criminentur. Reuera enim quemadmodum Chryostomus de Consecratione loquitur, ita veteres Ecclesiae semper obseruarunt, quibus etiam Doctores Scholastici consonant. Taceo Emisenum, qui & ipse hanc veritatem clarè exprimit. Ambrosius sanè breuissimis iisque apertissimis verbis eam fatetur in lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. cum inquit, Sacramentum quod sumis, Christi sermone conficitur.

Verum est, quod D. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. scribit, *Quā-
nis Christus Dominus per multiplicia signa praefiguratur, tamen id solum cor-
pus & sanguinem eius dicimus, quod ex fructibus terra acceptum, & prece my-
stica consecratum ritè sumitur, ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis
Domine passionis.* In qua mytica prece S. iste Pater sine dubio verba Domini, *Hoc est corpus meum,* &c. includit, eaque cum ceteris Patribus pro eis verbis agnoscit, per quæ Consecratio sacramentorum proprie perficitur.

*Sic de Sa-
cramentis
lib. 4. c. 5.*

Nec minus verum est, quemadmodum antea dicimus, quod fideles verba Domini in vera nunquam recitabunt, nisi etiam Domino gratias agant, ipsumque inuocent. Attamen Gregorius, quoniam & ipsum Aduersarij perperam citat, testatur, Apostolos ad solam orationem Dominicam hostiam consecrasse. Animaduerte quid testetur. *Cōsecrationē ab oratione seūgit,
ac diuersum quid ab ea constituit, testaturque quod Apostoli ad consecran-
dum nullam aliam orationem adhibuerint quam Dominicam.* Vbi igitur erat Canonica Consecrationis precatio, quam Aduersarij comminiscuntur?

*Alias
Cœna.*

Consimili modo D. quoque Basilium perperam citant: neque enim vel verbo vllius Canonicae precis meminit, qua sacramenta primum cōsecranda & conficienda sint. Verum scribit de verbis cuiusdam *ἀπικλινῶς* vltatē suis temporibus, *ὅτι τῆ ἀνά εἰς τὸ εὐχέον, hoc est, quando panis gratiarum actionis & calix monstrabatur.* At quid fuit ista *ἀπικλινῶς* vocabulum istud vulgò significat cognominationem. Sed sit sanè quod hoc in loco inuocationem significet, vnde tamen adhuc probari poterit, cōsecrationem cōfectionemque sacramentorum per istius inuocationis verba, & non potius per verba Domini fieri solitam fuisse? Equidem apertè dicit Basilus, Hæc verba, non ad consecrationem, sed ad monstrationem panis & vini adhibita fuisse. Et Dionysius testatur, Reuelationem sacramentorum in sua Ecclesia Consecrationem subsecutam esse: qui ordo etiam in Liturgia Græcorum obseruatur.

Græcorum quoque ritum introducunt, qui post recitata verba Domini primum ad Patrem orant, *Fac, ô Domine, hunc panem preciosum corpus Christi tui.* Item, *Quod in calice est, fac preciosum sanguinem Christi tui.* Vnde inferunt, Græcos panem & calicem Domini non verbis Domini, sed signo crucis, dictisque iam precatiunculis consecrare, propterea quod Diaconus antè eas sacerdoti dicat, *Domine benedic panem sanctum. In, Do-
mine, benedic calicē sanctū.* in eorumque Liturgiis scriptū sit, quod sacerdos

continuo benedicat, signetque sancta dona, & oblationem. Ad hoc respondetur, Quare non etiam ea notarunt quæ in Liturgia Græca præcedunt, nempe quod Pontifex verba Domini, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, &c.* & *Accipite, bibite, hic est sanguis meus, &c.* clara voce pronunciet, illique panem & calicem benedicat. Item quæ Pontifex apud Græcos etiam post commemoratam orationem precatur, vt Dominus potenti manu sua velit ipsis ministris, & per eos omni populo dare sanctum suum corpus & sanguinem: imò quod etiam post percepta sacramenta orat Dominum, vt participem se faciat corporis & sanguinis sui.

Ex istis omnibus notandum est, veteres agnouisse, quod Christus corpus & sanguinem suum non in pane & vino reseruandum, sed discipulis suis manducandum & bibendum instituisse, idque in cibum vitæ æternæ, in quo consistit legitimus vsus huius sacrosancti sacramenti. Et si igitur exhibitio corporis & sanguinis Christi verbis eius penitus nititur, nihilominus tamen fidelis mens eam perpetuo orare debet non tantum post recitationem verborum Consecrationis, sed etiam post corporalem sacramentorum sumptionem peractam. Non enim hic sensus est, quod panis & vinum, vel accidentia panis & vini Christum, verum panem cœlestem, ac cibum vitæ æternæ habeant, sed quod nos discipuli Christi, quibus hic cibum à Christo Domino destinatus est, eo frui debeamus. Quæcunque igitur preces super pane & calice funduntur, propter nos funduntur, nempe vt per hæc sacramenta Christum ad salutem nostram percipiamus.

Ex his omnibus vnique in promptu est videre, quæ fuerint Antiquorum de consecratione sententiæ, & in quo eam penitus collocarint, nempe in verbis Christi, non autem vlla prece dicenda à sacerdote. Impudens igitur audacia est Aduersariorum, qui talem obseruationem dementiæ crimini subiicere non verentur, nouumque insuper dogma comminisci, contra non solum scripturam & omnes S. Patres, sed etiam contra ipsos Doctores Scholasticos, Thomas enim & alij omnes fatentur, Sacerdotem quando verba Christi super symbola recitat, intentione ea consecrandi, verè Sacramentum conficere.

Responsio ad reprehensionem Aduersariorum & occasio eius.

Accusant Aduersarij Librum, quod officium S. Cœnæ ita ordinauerit, vt nullà ibi fiat sacramentorum consecratio. Vehemens enim, vt aiunt, insania est, præsumere Consecrationem sacramentorum sine prece canonica. Et hoc probare conatur similitudine ducta à Baptismo: Dicunt eum non baptizare, qui tantum verba Domini de Baptismo, *Ite & baptizate omnes gentes, &c.* historicè super paruulum recitat, non autem pronunciat etiam essentielles formulæ baptizandi verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.*

Hoc loco animaduerte Christiane Lector, quomodo Aduersarij ex auersatione Christianæ Reformationis sibi ipsis tenebras offundant ac pugnent. Similitudo enim ducta à Baptismo contra ipsos est, non contra Librum Reformationis.

Verum.

Verum enim est, quod si quis super infantem verò vel adultum non baptizaret, is mandato Domini nec satisfaceret, nec baptizare diceretur. Quamobrem id verò? Dominus dixit, *Baptizate eos in nomine Patris, &c.* Quod sanè faciendum est, siue fiat his verbis, *Ego te baptizo, &c.* vt nostra forma habet: siue, Baptizetur seruus Christi, quam formam baptizandi Græci in vsu habent. Omnino hominem baptizari oportet, idque in nomine Patris, &c. modò id exequendum sit, quod Dominus in his verbis præcepit.

Ad eundem modum in S. Cœna mandauit Dominus id ipsum facere, quod fecit ipse. Panem igitur & calicem ibi habere oportet, ea præsentibus discipulis Christi distribuere, simulque verba eius pronuciare, Hoc est corpus meum, &c. Hic est sanguis meus, &c. Quæ verba si quis historica tantum ratione recensere vellet, & non etiam homines ibi habere præsentés, ad quos ea pronuciaret, quibúsque sacramenta distribueret, quemadmodum Aduersarij faciunt, is certè sacramenta non conficeret: mandato enim Domini non satisfaceret: qui idem facere iussit, quod fecit ipse. Iam verò non simpliciter panem in corpus suum & calicem in sanguinem suum consecrauit, sed sanctificauit ea discipulis, manducandaque & bibenda dedit. Quamobrem quicumque discipulos Christi præsentés non habent, vel eis sacramenta non distribuunt, qui abusus est Aduersariorum, his recitatio verborum Consecrationis in S. Cœna perinde est, ac si quis neminem haberet baptizandum, verba autem Domini de baptismo interim solummodo recitaret. Sic vides, Christiane Lector, similitudinem à Baptismo sumptam contra Aduersarios facere, non contra Librum Reformationis.

Is enim omnia ea facienda ordinauit, quæ Dominus ipse fecit, fierique iussit.

Neque etiam gratiarum actionem & orationem prætermisit. Consecrationem verò sacramentorum meritò verbis Domini, non orationi attribuit. Cibus enim est donum Domini, nec ab oratione nostra dependet. *Panem quem ego dabo vobis, inquit Dominus, est caro mea.* Consecratio autem panis & vini est, vt nobis quoque sint sacramenta verè corporis & sanguinis Christi, hoc est, vt & nos quotiescunque de pane & vino manducamus, & de calice bibimus, non fiamus rei corporis & sanguinis Christi: sed percipiamus ac manducemus hunc cibum, corpus & sanguinem Domini, in vitam æternam. Hæc consecratio tum demum nobis verè applicatur, & à nobis accipitur, quando sacramenta eo quo dictum est modò sumimus, Pro quo meritò orare debemus. Nihilominus tamè gratia & beneficentia ista à verbo Domini pendet, estque operatio Spiritus S. non ab oratione nostra.

Tertia principalis pars huius materia: verba quæ in vulgatis Missis adhibentur, mysterio S. Cœna rectè ac propriè quadrent.